



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CLXXXVII. Stephan, Bischof von Brandenburg, ladet zu der Anfertigung von Transsumten einiger Urkunden des Klosters Lehnin alle Interessenten öffentlich ein, am 29. April 1443.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

CLXXXVII. Stephan, Bischof von Brandenburg, ladet zu der Anfertigung von Transsumten einiger Urkunden des Klosters Lehnin alle Interessenten öffentlich ein, am 29. April 1443.

Stephanus, dei et apostolice sedis gracia Episcopus Brandeburgensis, vniversis et singulis diuinorum rectoribus, presbiteris et clericis, tabellionibus et notariis publicis quibuscunque per et infra ciuitatem et dioecesim nostram Brandeburgensem vbilibet constitutis presentibus requisitis Salutem in domino. Ad instantem supplicationem venerabilis patris domini Johannis Abbatis nec non prioris et conuentus monasterii Lenyn dicte nostre dioecesis quarundam litterarum nobis pro parte eorundem exhibendarum, de quarum consumpcione ob earum vetustatem metuitur, Transumpcionem et exemplacionem facere ac iuxta disposicionem juris in negotio huiusmodi rite procedere volentes, presens edictum publicum ualuis ecclesie nostre Brandeburgensis affigendum duximus premittendum. Vobis igitur omnibus et singulis supradictis in virtute sancte obedientie districte precipimus et mandamus, Quatenus presentem nostrum processum et publicum edictum memorate nostre Brandeburgensi Ecclesie ualuis solito more affigentes Citetis peremptorie omnes et singulos, quorum de premissis interest Et qui sua quomodolibet crediderint interesse, Quos et nos peremptorie sic citamus per presentes, ut die Veneris execucioni et publicationi presencium continua cum diebus saturni ac tribus aliis diebus proxime sequentibus coram nobis in dicto Monasterio Lenyn in domo abbaciali compareant ad videndum quascunque litteras, priuilegia, Instrumenta et munimenta pro parte eorundem abbatis, prioris et conuentus coram nobis produci et exhiberi ac per nos recipi et videri, transumi et exemplari ac in publicam formam redigi aliaque omnia et singula in hiis et circa ea quomodolibet necessaria fieri et expediri, Siue causas rationabiles, quare premissa fieri non debeant allegaturi et probaturi cum Intimacione, quod siue comparuerint siue non, Nos nichilominus ad receptionem, transumpcionem et exemplacionem huiusmodi aliasque in predicto negotio, prout de jure poterimus, procedemus, cuiuscunque contumacia non obstante, Vos qui requisiti fueritis diem execucionis vestre et quitquid in premissis feceritis nobis vestris patentibus et autenticis litteris vna cum remissione presencium litterarum rescribere studeatis. Datum Seyeser Anno domini M^o. CCCC^o. XLIII^o. die Lune, penultima mensis Aprilis, nostro sub sigillo presentibus impenso.

Nach einer doppelten Ausfertigung im Geh. Staats-Archiv. Auf der Rückseite erklärt der Notar Bartholomäus Lowe, daß er dies Patent ualuis et porte occidentali Brandeburgensis ecclesie angeheftet habe.

CLXXXVIII. Bischof Stephan von Brandenburg transsumirt dem Kloster Lehnin eine Urkunde des Markgrafen Waldemar, am 11. Mai 1443.

Noverint uniuersi et singuli, presens transumptum et instrumentum publicum inspecturi, quod nos Stephanus, dei gracia Episcopus Brandeburgensis vocatis primum et per nostras certioris litteras et edictum publicum peremptorie citatis ad id omnibus et singulis, quorum interest et qui sua crederent interesse, in diem hodiernum, in eorundem non comparentium contumaciam,